DE ANTIQUA INSCRIPTIONE

NUPER EFFOSSA IN MELITÆ URBE NOTABILI

DISSERTATIO

COMITIS

JOHANNIS ANTONII CIANTAR





ANNO CIↃIↃCCXXXXIX.



Illustrissimo, ac Reverendiss. **Domino Fr. Paulo** *Alpheran de Bussan Archiepiscopo Pelusiensi, Episcopo Melitæ, & Gaulos, e Dominis Magnæ Crucis Sac. Ordinis Hierosolymitani, Regio Consiliario, Pontificio Solio Assistenti, & ejusdem S. Ordinis cersuum de Vaurs, Gabre, & Capoulet Commendatario.*

COMES JOH. ANTONIUS CIANTAR P. F. D.

PErvetustæ hujus Inscriptionis interpretatio omnibus titulis, ac rationibus, Tibi, Præsul amplissime, dedicanda, tuoque Patrocinio sistenda est. Sive enim locum, in quo reperta ea est, respicias, ipsam effossam esse noveris in Urbe Notabili, in qua Sedes tua, & Cathedra Pontificia sita est. Si res in ea descriptas expendas; de Templi consecratione, ac sumptuoso ædificio ibi agi intelliges. Tu quidem omnium hujus Insulæ Templorum Antistes audis bene merentissimus: eorumque plurima non fa sis Numinibus, sed Deo viventi, & vero solemni ritu consecrasti: tantaque integritate, ac prudentia commissum Tibi Gregem rexisti, ut Benedictus XIV. Pontifex Opt. Max. Te majori Ecclesiarchio Dignum rectè dijudicans, Archiepiscopum Pelusiensem, Aula Romana plaudente, creaverit. Tu quoque immodicis sumptibus superbus Ædes in eadem Urbe construxisti, peramplum, inquam, Seminarium, in quo Melitensis Juventa non

minus bonis moribus, quàm literis, scientiisque instruitur: Si temporis, quo ea detecta est, rationem habeas, id esse comperies, quo sub tuis faustissimis Auspiciis inlustre Melitensis Ecclesiæ Capitulum novis, iisdemque eximiis honoribus a prælaudato Summo Pontifice decoratum est. Denique si ipsum Dissertationis Autorem consideres; is est, qui Tibi, Patruoque tuo memoriæ nunquam interituræ Præsuli Fratri Melchiorri Alpheran semper, ac summopere fuit addictus: Cujus quoque elucubrationes, ut ut vera eloquentiæ, ac eruditionis laude destitutas, humanè ac peramanter legere consuevisti. Excipe igitur benignè, ut soles, Antistes ornatissime, munusculum hoc meum, ut beneficia, quæ mihi contulisti plurima, hoc novo beneficio augeantur. Quo id etiam efficies, ut obsequium, quo non minus virtutem, quàm Dignitatem tuam veneror, foveas, perennesque.

DISSERTATIO

IN antiquiori Melitæ urbe, olim Insulæ cognomine, postea, ut in præsentiarum, Notabili, nuncupata, in area, quæ inter Ven. Monasterium S.Benedicti nomine insignitum, Ædesque publicas sita est; nuperrimè effossa sunt tria marmora; in quorum primo insculpta est Epigraphe supra descripta; alterum, ut in Tab. II. delineatum cernitur; tertium autem columnæ capitulo simillimum est: cujusmodi lapides aliàs quoque in eodem tractu reperti fuerant.

Vetustam hanc Inscriptionem, ut quibusdam eruditis Viris mecum necessitudine conjunctis morem geram, pro tenuibus ingenii mei viribus breviter exponam; licèt in gratiam eorum, qui in re antiquaria minùs versati sunt, me nonnulla enucleare oporteat, quæ Antiquariis supervacaneum esset explicare.

Eximium hoc monumentum, etsi temporis dente attritum, utroque latere disrupto, ut observare est in Tab. I., certiores tamen nos facit de sumptuoso, ac superbo ædificio, hactenus ignoto, Majorum nostrorum magnificentiam, splendoremque attestante, scilicet de antiquissimo Fano Apollini sacro cum vèteri theatro Melitensi conjuncto, ut infra ostensum ibo.

IPI MEL. PRIMUS, hoc est *Municipii Melitensis*, vel *Melitensium Primus*; neque enim hujusmodi lectioni refragari putes alterius I, defectum in voce Municipi: siquidem is frequens occurrit in antiquis monumentis: neque tibi deerunt exempla in Inscriptionibus infra adducendis, in quarum una, *Valli* pro *Vallii* perleges; in altera *Colleggi* pro *Collegii* invenies. Melitam verò, Gaulumque fuisse Romanorum municipia testantur plures nostræ Inscriptiones, adhuc extantes; quarum nonnullas accipe:

...QVI.

.... QUIRO POSTU. MUNICIPII................
.....ADRIANI PERPETUI. QUINQ. DECUR. JUDIC...
.. QUATRINGENARIOS ADLECTO A DIVO ANTO..
.....PIO OMNIB HONORIB. CIVITATIS SUÆ HO
N...E FUNCTO. ITEM LEGATIONE GRATUITA APUI
HADRIANUM ET APUD AMPLISSIMUM ORDINEM
DE...ALIB. REDHIBENDIS PLEBS GAULITANA EX
AERE CON.....PLURA MERITA EJUS D D D.

En alteram, in qua idem Postumus Municipii Patronus inscribitur

M. VALLIO. C. F. QUIRO. RUFO. EQUO. PU
BLICO. EXORNATO. A. DIVO. ANTONI
NO. AUG. PIO. PLEBS. GAULITANA. EX
AERE CONLATO. OB. MERITA. ET IN
SOLACIUM. C. VALLI POSTUMI. PATRO
NI. MUNICIPI. PATRIS EJUS.........
.....................ATER............

Po-

Postrema dictio a diligentissimo Scriptore (1) nostro Joh. Francisco Abela *Mater* legebatur; in præsentiarum autem deleta est.

CESTIO L.F. POMPI GALLO VA
RENIVO MUNICIPII NATALIA EMI
LIAVO PATRONO MUNICIPII D.M
...MARCIUS MARCIANUS AMICO OPTM.
V. KARISSIMO SIBI HONORIS CAUSA S.L.

Pro *Municipii Patroni* titulo, quod in istis Inscriptionibus legitur; in monumento nostro habetur *Municipii Primus*; ut etiam in Græcanica illa Inscriptione, aliàs (2) a nobis relata L. Castricius Patritius Melitensis, Eques Romanus nuncupatur ΠΡΩΤΟΣ ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ, *Protus* seu *Primus Melitensium*. Hujusmodi quoque nuncupatione usus est Apostolicorum Annalium Scriptor; quum gloriosus noster Publius, B. Pauli Apostoli in hæc nostra litora celebri naufragio ejecti humanissimus hospes *Πρῶτος τῆς νήσου* (3) Protos, vel Primus insulæ fuerit ab eo appellatus. Patronos verò in Urbe adoptabant Coloniæ, & Socii, ut refert Halicarnasseus (4). Melitenses autem fuisse Romanorum Socios paulò infra demonstrabo. Aliam modò Inscriptionem proferamus, in qua perspicuè legitur *Municipium. Gaul.* hoc est *Gaulitanum*, ut in nostra Mel. abbreviatum pro *Melitensi* ponitur JU-

(1) Mel. illustr. lib. 2. Not. 6.
(2) De B. Paulo in Mel. Naufrago Differt. xv. §. 13.
[3] Act. Ap. c. 28. v. 7. (4) Halicarn. 11. p. 85.

JULIAE D..AE AUG.
MATRIS C...... ORUM
IMP.CAES.L.SEPTIMI
SEVERI PERTINACIS
AUG.... JUGI
MUNICIPIUM GAUL.
....P. P. D.
CURANTE VI DAPSI
.............ANO

Hic obiter notare mihi liceat, quod Abela (1) ævo suo legebat in priori linea DOMIT... AE. & interpretabatur *Domitianæ*. Sed hujusmodi cognomentum in nullo, quod sciam, antiquo monumento tributum est Juliæ Septimii Severi conjugi; quam tamen *Domnæ* cognomine insignitam novimus; ut ibi legendum putamus. In secunda vero linea CAST. AUGUSTORUM idem Scriptor legebat: Hodie autem non apparent nisi literæ illæ C.... ORUM, idest *Castrorum*, ut ego arbitror. Namque illa Imperatrix appellata fuit Mater Castrorum, quod Senatus, Populusque Romanus ei tamquam Faustinæ Filiæ eosdem honores detulit, ut asserit doctissimus Patinus (2), allegans verba Capitolini (3), qui de Faustina hæc tradit. *Dianam Marcus a Senatu appellatam gratulatus est, quam secum in æsti-*

(1) Melit. illustr. lib. 2. not. 6.
(2) Carol. Patin. Num. in Julia
(3) Capitol. in Aurel.

aestivis habuerat, ut Matrem Castrorum appellaret. Sed redeamus in orbitam.

Satis igitur exploratum est, prioribus nostræ Inscriptionis literis *Municipium Melitense* exprimi. Eruditorum verò nullus ignorat, *Municipia* fuisse oppida jure Civium Romanorum donata. Duo tamen genera Municipiorum fuere, ut ait Goltzius, & alii apud Pitiscum (1). Primum quibus civitas cum jure suffragiorum; alterum quibus sine suffragio data erat. Illi dare Quiritibus honores, & capere poterant; isti non ita: Sed in legionibus ut cives, non in auxiliis ut socii adscribebantur. Municipes e suis civibus regebantur, suisque moribus, ac legibus vivebant, & ubi vellent, Romam ire ad suffragium ferendum, & ipsi Magistratus capere poterant, ut asserit Manutius (2) & alii. Ante legem Juliam Coloniæ, urbesque fœderatæ Municipia dicta sunt, ut habet præallegatus Pitiscus. Municipia verò fuisse ante Civitatem Sociis, & Latinis donatam colligitur ex hisce Tullii verbis (3). *Erat adscriptus in id municipium* (Neapolitanum) *ante civitatem* sociis, & Latinis datam. Melita verò nostra nedum erat Municipium, sed etiam Romanorum Socia audiebat. Testis est ipse Tullius: *Teque, Regina Juno, cui duo Fana duabus in Insulis* Sociorum Melitæ, & Sami (4). Quibus dictis nihil clarius, nitidiusque. In ea quidem servabatur forma Romanæ Reipublicæ. Etenim si ordines spectentur, erant Decuriones, Equites, & Populus: Si Magistratus; erant Sacerdotes, Triumviri, Quatuorviri, Quæstores, Curatores, & alii; ita ut in hac Insula *species ali-*

B *qua*

(1) Lex. ant. Rom. lit. M.
(2) De Civit. Rom. Thes. ant. Rom. Grev. tom. 1. p. 30.
(3) Cic. Fam. XIII. 30.
(4) Verr. 5.

qua inspiceretur, ut Cl. V. Ludovici Muratori (1) verbis utar, *Romae ipsius dominantis*. Id plane testantur antiqua nostra monumenta, quorum nonnulla jam supra retulimus, alia verò plura alibi produximus (2). Quin etiam Romanorum nomina sibi attribuerunt Melitenses: testes sunt, præter Publium, & Lucium Castricium supra laudatos, alii duo, quorum meminit sæpe allegatus Oratorum Princeps (3), videlicet L. Cajus, & Aulus Licinius, ambo Melitenses. Quisnam verò fuerit Princeps ille vir Municipii Melitensis in Epigraphe nostra commemoratus, silentio involvitur; contra quam fieri solet in similibus monumentis, in quibus ferè numquam prætermittitur nomen proprium eorum, quorum causa illa facta fuerint. Neque enim id elici potest ex verbis sequentibus.

OMNI...IT. Heic planè desiderantur septem, aut octo literæ: quænam illæ sint, divinare non ausim. Postrema syllaba IT. confusa cum sequenti adverbio *item*, indicare mihi videtur verbum *fecit*, vel *dedit*, aut *posuit*, vel aliud simile. Quid autem ille fecerit, vel dederit, aut posuerit, me ignorare ingenuè fateor: Neque enim ego sum de illis Antiquariis (si tamen hujusmodi nomen promereor) qui mirum quantum ariolari norunt: resque pulcherrimas, mirandasque in monumentis antiquitate obrutis, ac deperditis detegunt, observant, ac interpretantur, quæ neque ipsi eorum Authores unquam excogitaverint: tantum abest, ut eas posterorum memoriæ mandare voluerint.

ITEM AEDEM MARMO..... LLINIS CONSACRAVIT; hoc est, *item aedem* marmoream Apollinis consecravit, Et

(1) Ant. Ital. Med. Aev. tif. Differt. 18.
(2) Loc. sup. cit.
(3) Verr. 6. & Famil. lib. 12. ep. 3.

Et sanè Apollinem in hac Insula cultum fuisse demonstrant antiqua nostra monumenta, in quibus lyra, & tripus insculpti sunt. Siquidem Apollo citharædus fingitur, & Musicus. quia sol temperat omnia, & est, ut ait Suidas, universi harmonia: ideoque palla indutus a Poetis inducitur, quia cithara canit, ut a Nasone (1) describitur:

Ipse Deus Vatum palla spectabilis aurea,
Tractat inauratæ consona fila lyræ.

Hinc palla ad Citharædos, Saltatores, & Tragædos translata est. Tripus autem Apollini dicatus est, vel propter numeri ternarii perfectionem, vel propter tres cœli circulos, quorum unum secat Sol; ut asserunt Bullingerus, & alii (2). Tripus vero propriè dicebatur mensa in templo Apollinis Delphici, cui superposita Phœbas vaticinabatur. Tripus iste erat aureus insistens super tricipiti ex aere colubro proxime ad aram, ut tradit Pausanias (3). Hinc Apollini tripus cum serpente dicatus est, ut ait Herodotus (4).

Quidam eruditus Scriptor autumat, Apollinem, præsertim Pythium, Pœnis, ac Melitensibus notum fuisse, quod eum in Africa vixisse conjicit ex fabula, quam ille vocat historiam, serpentis Pythonis ab eo interfecti: cujusmodi monstra vix in alia regione, quam in Africa reperiri poterant, ut ille subjungit (5). Sed hujus fabulæ Scriptores tradunt, quod iste serpens *fuit terræ filius, & ante Apollinem ex oraculo in monte Parnaso responsa dare solitus. Illi ex Latonæ partu interitus*

B 2 *erat*

(1) Ovid. Amor. lib. 1. c. 8. v. 59.
(2) Apud Pitisc. lit. A.
(3) Phoc. p. 329.
(4) Herod. in Calliope.
(5) Ridulph. Venuti Diss. Acad. Etrusc. t. 1. p. 38.

erat fato futurus. Qui ubi sensit Latonam ex Jove gravidam esse, cæpit illam persequi, ut eam interficeret. Apollo post diem quartum, quam natus esset, Parnassum venit, & Pythonem sagittis interfecit. Equidem πύθω nihil aliud est, nisi *putredo*: etenim ex hybernis imbribus collectæ aquæ, stagnantesque, modico superveniente calore corrumpuntur; eas postmodum æstivi Solis ardores exsiccant; hinc putredo solvitur, atque evanescit, ansaque Poetis data Pythonem canendi Apollineis jaculis transfossum (1).

Ceterum verosimillimum est, quod Apollinem Pythium, *Argyrotoxum* quoque dictum ab argenteo, splendidoque arcu, quo Pythonem ipse confecit, antiqui Melitæ incolæ non modo coluerint, sed etiam ludos Pythios in ejus honorem celebraverint; sicuti aliæ nationes huic falso numini devotæ eadem certamina peragere consueverunt, ab ipso instituta in victoriæ memoriam, quam de immani illo serpente is reportaverat, ut cecinit Naso (2).

Hunc Deus arcitenens, & nunquam talibus armis
Ante nisi in damis, capreisque fugacibus usus,
Mille gravem telis, exhausta pene pharetra,
Perdidit effuso per vulnera nigra veneno.
Neve operis famam posset delere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ serpentis nomine dictos.

Præsertim quod hujusmodi certamina in proxima Sicilia erant celebratissima, ob victorias in iis relatas ab Hierone Syracusarum Tyranno: quamobrem Græcorum Lyricorum Dictator

(1) Hyginus Fab. 140. Macrob. Sat. l. 1. c. 17.
(2) Ovid. Metam. lib. 1.

tor (1) eum elegantissimis carminibus, quæ Pythia inscr ipsit mirum quantum exaltavit.

Præterea apud Pachynum Trinacriæ promontorium, quod non longiùs LXXX. P. M., a Melita separatur, summa religione colebatur Apollo, qui Libycos Sicaniam invasuros, & ad id promontorium adpulsos, immissa eis peste, ferè omnes perdidit; unde *Libystinus*, seu *Libyssinus* cognominatus est, ut refert Macrobius (2). Hinc etiam colligi potest, quod Apollinis cultus latere non debuit, quibus semper fuit cum Siculis consuetudo; quinimo inter Siculos ipsimet accensentur; ita ut D. Gregorius (3) Trajanum Melitæ Antistitem inter Siciliæ Episcopos adnumerarit; unde arguere non dubitavit Pirrus (4), quod Melita insula Sicilia dicitur.

Aedis autem Apollineæ *consecrationem* in Epigraphe nostra commemoratam, Romanorum more, ac ritu peractam fuisse non dubito. Namque Melita, ut vidimus, erat Municipium, & Socia Romanorum, quorum mores, ac vitia ceteræ Provinciæ æmulabantur, ut ait Lipsius (5). Apud Romanos autem dies *congregationis* templorum erat apprime solemnis, atque festivus. Et sanè immolabantur victimæ super unumquodque altare: canebantur hymni cum tibicine. Templum floribus, frondibusque, fasciolisque versicoloribus exornabatur. Magistratus huic sacro muneri destinatus manum imponebat super januæ stipitem elata voce summum appellans Pontificem, ut eo adjuvante ritè munere suo fungeretur. Coram illo preces, & prisca

(1) Pindar. Pyth. 1.
(2) Sat. l. 1. c. 17.
(3) Ep. 22. lib. 11.
(4) Not. Eccl. Melit.
(5) De Amphith. quæ extra Rom. c. 1.

sca verba, nempe Dedicationis formulam, iste proferebat; quæ distinctè, ac nimis religiosè ille repetebat, ne quidem syllaba prætermissa, vel minùs bene pronunciata. Putabant enim irritum, & invalidum fieri mysterium, si vel unicæ dictionis, aut Syllabæ oblivifcerentur, aut eam male pronunciarent. Hinc est, quod maximus Pontifex Metellus, qui erat blæsus, se per plures menses exercuit, ut *Opiferæ* vocabulum bene pronunciaret. Luctui repugnabat solemnitas: siquidem eum prohibebat, ne albæ veste functioni assisteret. Quamobrem inimici Horatii Pulvilli, qui templi Capitolini dedicationem peragebat, illum adivere, ut sacram ceræmoniam perturbarent, falsò evulgatum de morte ejus filii rumorem ei annunciantes: at ille amota quavis perturbatione, quod inceperat, perficere perrexit.

Neque ullum templum *consecrari* poterat sine simulacro Numinis, quod erat in medio collocandum; ad cujus pedes ara ponebatur, super quam prima oblatio fiebat ex leguminibus, aqua decoctis, & ex quadam jusculi specie, quæ distribuebantur operariis, qui illud elevassent. Eadem statua nonnunquam collocabatur in quodam tabernaculo, seu sede, quam vocabant ædiculam; & spectabat ad occasum, ut qui accedebant adoraturi, vultus ad solis ortum converterent. Nec non tria requirebantur in lapide, seu ligno, aut alia, quævis ea fuerit, simulacri materie, ut Deus evaderet, scilicet *ornatus*, *consecratio*, & *oratio*. Primum enim adornabant idolum suppellectile varia, & pretiosa, quæ imperito vulgo animos obumbraret: sic exornatum, depexumque consecrabatur; ita consecratum colere, & orare populus non dubitabat.

Primis Romanæ Reipublicæ temporibus ad magnos Magistratus pertinebat *consecratio* templorum. Deinde ob discrimina, quæ hac de causa exorta fuerant, ad populi potestatem

recur-

recurrere oportuit. Demum res ad Senatum remissa fuit, cum interventu Tribuni plebis, cujus authoritatem postea sibi adjudicaverunt Imperatores. Sed alias dictiones interpretari pergamus.

ITEMP........RONAO COLUMNAS IIII. idest, *item posuit.....ronao columnas quatuor*; siquidem tertium vocabulum legi nequit ob defectum plurium literarum: neque enim mihi arridet interpretatio cujusdam eruditi concivis nostri, qui legendum ibi putat *Andronao*, quod *andron*, ut ille inquit, *locum angustum virorum* significet. Sed ex voce *andron* qui fiat *andronao*, & quomodo in loco angusto collocari potuissent columnae ibi descriptae, penitus ignoro. Praeterquam quod *andron* graece *ανδρὼν* erat aula quadrata, ut ait Vitruvius, in qua conviviis, choreis, & ludis vacabant Graeci, exclusis feminis; quod his non licebat virorum mensis accumbere. Columnas istas marmoreas ordinis, quem Architecti vocant Jonici fuisse conjicio ex fragmentis, quae nobis remanent; quorum unum exhibet tabula secunda huic Dissertationi praemissa. Eo autem Architecturae ordine, ut pote medio inter Doricum, & Corinthium, utebantur antiqui idolorum cultores in construendis templis Junonis, Dianae, Bacchique. In templis enim Minervae, seu Bellonae, Martis, Herculisque adhibebant Doricum, ut magis severum, & horum Numinum majestati congruum. Corinthium vero, ut elegantiorem, floribusque, foliisque ornatum, Veneri, Florae, Proserpinae, Nymphisque consecrabant; ut autor est praelaudatus Vitruvius. Hinc perspicuum fit, quod olim in hac insula reperiebantur templa quolibet Architecturae ordine constructa. Nimirum praeter Apollinis fanum in Epigraphe nostra descriptum, celebria erant Junonis, Proserpinae, Herculisque templa. Reapse Herculis, ac Proserpinae

aedum

ædium reliquiæ a noſtro Abela (1), & Quintino (2) deſcriptæ, alteras Dorici, alteras Corinthii ordinis fuiſſe demonſtrant.

ET PARA..... ET PODIUM, ſcilicet *paraſcenium*, & *podium*. *Paraſcenium* autem erat locus ex utraque parte ſcenæ ante ipſam ſcenam præparando certamini deſtinatus, ut habet ille antiquitatis promus condus Cęlius Rhodiginus (3). *Podium* verò erat parvus murus, qui ſeparabat orcheſtram a ſcena in theatris veterum, vel qui circumdabat arenam circi, ve amphitheatri, ne feroces belluæ in ſpectatores proſilirent. In *podio* ſedebant Conſules, Prætores, aliique Magiſtratus præcipui. Quo circa Juvenalis (4) ait:

Et Capitolinis generoſior, & Marcellis,
Et Catulis, Pauliſque minoribus, & Fabiis, &
Omnibus ad podium ſpectantibus .....

Cui conſonat Prudentius (5).

An quoniam podii meliori in parte ſedebant.

Locus autem dignior erat, qui orcheſtræ proximior. Ideoque Julium Cæſarem ſuggeſtum in orcheſtra admiſiſſe tradit, Svetonius (6). Deinde Imperatoribus extructus ibidem ſuggeſtus eminentior, qui erat tanquam eorum domus. Sed præſtat Vitruvium (7) audire nobis tradentem qui *podia* conſtruebantur. *Podii altitudo*, ille inquit, ab libramento *pulpiti*, *cum corona & lyſi duodecima orcheſtræ diametri. Supra podium* co-

(1) Mel. ill. l. 2. not. 6.
(2) Mel. Deſcript.
(3) Lect. Ant.
(4) Sat. II. v. 145.
(5) Prud. in Symmach.
(6) In Julio.
(7) Vitr. lib. 5. c. 7.

columnæ cum capitulis, & spiris, altæ quarta parte ejusdem diametri. Revera ejusmodi columnarum nedum fit mentio in epigraphe nostra, verum etiam supersunt plura earumdem capitula, & ornamenta in eodem terræ tractu detecta.

Hinc colligitur, ibi fuisse theatrum cum Apollinis æde conjunctum. Nimirum theatra ipsa inanibus Numinibus consecrabantur, atque in illis eorum altaria collocabantur: quapropter Tertullianus (1) illa nuncupavit *omnium Dæmonum templa*. Quod si autem ceteris Diis, quam maxime Apollini ea fuisse dedicata arbitror; quod ipse, ut supra exponebam, Tragædis, Saltatoribus, Citharædis, & Musicis præerat.

Verumtamen haud me præterit, *Podia* quoque templorum porticibus fuisse circumposita ad amovendam turbam profanam, sive ad majorem eorumdem ornatum: Memini etiam me legisse vetustam hanc Inscriptionem: GENTIS. IVLIÆ. IN. CAPITOLIO. DEFORAS. IN. PODIO. SINISTERIORE. Attamen in monumento nostro mentionem fieri de *podio* theatri, sibi facile suadebit, quicumque aliorum verborum contextum considerabit. Etenim ibi duo distincta recensentur, scilicet Dedicatio Fani Apollinei, quod næ consecrari non potuisset, nisi esset omnibus numeris absolutum, imò & luculenter ornatum, ut supra differebam; & aliud ædificium restauratum, cum *parascenio*, columnis, & *podio*, quæ adamussim theatro conveniunt. Præter quam quod revocare in dubium nemo debet, Melitam illa tempestate florentissimam, Romanorum amicitia, imò societate, moribus, Magistratibus, ac ritibus gaudentem, suum habuisse theatrum, ut plures proximæ Siciliæ urbes illud habuere; sicuti de Agrigento in antiqua, ac diruta Segesta tradunt Mirabella (2) Fazellus

(1) De Spectac.
(2) Tab. 5. n. 130.

lius (1) & Carrera (2). Quinimo nonnullæ theatrum, & amphitheatrum habebant, ut Syracusæ. Cataniæ autem erant duo theatra præter amphitheatrum, ut affirmant præcitati Scriptores. Et sanè, ut ait Lipsius (3) *si ædificii, aut publici operis ullum genus crebrum in Italia, & provinciis fuit; reperies fuisse, quod ad ludos spectat; ut enim Romani victis gentibus linguam, & mores intulere, sic vitia &c.*

Nihilo tamen secius si quis talibus argumentis, rationibusque non acquiescat; sed de podio Apollineo delubro circumposito in Epigraphe nostra sermonem fieri contendat; ei diutiùs reluctatum non ibo; quinimo ei facem præferam, ut opinionem suam aliquo modo propugnare valeat. Nimirum pro PARA *scenio* legere ille poterit PARA *sitium*, vocabulum æque latinum, & antiquis Romanis usitatum, & a rebus sacris, de quibus in monumento nostro agitur, minimè alienum: alia siquidem vocabula ab aliis excogitata pro istius dimidiatæ vocis interpretatione, veterum inscriptionum stylum, & Romanum priscum eloquium minimè sapiunt, Verumenim vero Parasitium apud Veteres fuit horreum, in quod primitias sacri frumenti Parasiti recondebant, asserunt Athenæus, (4) Scaliger (5) Meursius (6) & alii (7).

ET PAVIMENTV..... CAVIT. hoc est, *& pavimentum ædificavit*. Pavimentum cum musivo confundunt nonnulli Auctores: ea tamen non nihil differunt. Etenim pavimentum solo assignatur, musivum cameris, & absidibus. Quamquam utrum-

(1) Dec.5. l. 6. c.1.
(2) Mem.Hist.Cat.l.1.c. 39.
(3) Lipsl.loc.sup.cit.
(4) Lib. 6.p.235.
(5) Poet. l.1.c.14.
(6) De Athen.Attic.l.3. c. 6.
(7) Faber Agonist.l.2.c.17.

utrumque opus tessellatione contextum est; attamen ut pavimentum nunquam de camera; ita nec musivum de pavimento dicitur. En ut ea bene distinguit doctissimus Anastasius (1): *Fecit* (Hadrianus) *in Patriarchio Lateranensi triclinium majus super omnia triclinia nomine suæ magnitudinis decorata, ponens in eo fundamenta firmissima, & in circuitu laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis stravit, & diversis columnis, tam porphyreticis, quam albis, & sculptis, cum vasibus, & liliis, simul postibus decoravit cameram cum absida de musivo &c. Præfatus verò sacratissimus* Pontifex *juxta Ecclesiam* B. *Petri Apostoli fecit in triclinio majori miræ pulchritudinis decoratam absidam de musivo ornatam, & absidas duas dextra, lævaque super marmore, & pictura splendentes; & in pavimento marmoreis exemplis stravit.* Hujusmodi marmoreis exemplis, stratum fuisse pavimentum in monumento nostro descriptum arbitror. Namque perantiqui Herculis templi, quod situm est prope portum a Vulturno dictum (*marsascirocco*) rudera, & vestigia perscrutanti mihi compertum est, ejus pavimenti partem, quæ minùs obruta ad hæc usque tempora permansit, albis quadratis marmoribus stratam fuisse, & ita concinnatam, ut marmorea exempla in plures lineas essent producta, interque unam & alteram lineam canalis esset effossus, quem terrea materie plenum fossores invenerunt. Area verò istius Delubri incrustata erat sabulo, terra, gypso, tesserisque testarum flavi, & rubri coloris; quæ crustam effecere tantæ duritiei, ut ne quidem plaustrorum per ea loca non raro transeuntium rotis effringi, aut conteri potuerit. Opus hujusmodi cum idiomate a Pœnis accepere prisci Melitenses. Illi enim fuere primi, qui vias lapidum, silicum, sabulique structura munivere, & consolidaverunt, ut tradit Isidorus (2) *Primum*

(1) Anast.in Hadrian.
(2) Isidor.l.51.c.16.

Pæni dicuntur vias lapidibus straviffe : Nec non ipsi nomen fecere *Pænico pavimento*, cujus fegmenta ex marmore Numidico fiebant. Idque in ufu veniffe circa tempora Catonis afferit Feftus (1): *Pavimenta Pænica marmore Numidico conftrata fignificat Cato, cum ait in ea, quam habuit: ne quis Conful bis fieret*: Dicere poffum, quibus villæ, atque ædes ædificatæ, atque expolitæ maximo opere, citro, atque ebore, atque *pavimentis Pænicis* ftant.

Lingua vero Punica veteres Melitæ incolas loquutos fuiffe, præter Scriptorum autoritates, quas heic allegare opus non eft, antiqua noftra numifmata, & Infcriptiones demonftrant. In gratiam Antiquitatis amatorum unam tantum Epigraphem Punicam adduco; quod ea pluries quidem, fed nunquam exactè divulgata fuerit; ficuti nos ex originali fideliter defcriptam diverfis exteris Antiquariis contulimus, & modò in Tab. III. huic differtationi præpofita exhibemus

Ex fupra expofitis elici poteft; ædificia, in monumento noftro defcripta minimè conftructa a fundamentis fuiffe, fed aucta, & ornata *columnis*, *Parafcenio*, *Podio*, novoque *pavimento*. Hinc eft quod Infcriptio, quam explicamus, fecunda eft; prima enim, quæ fuit a fundamentis ædis Apollinaris pofita, remanet adhuc fepulta, vel prorfus obruta, & deperdita. Quippe is erat prifcus mos, ut Magiftratus, qui templum dedicaret, nomen quidem fuum fronti ejus incideret; qui verò reædificare id faceret, ut in cafu noftro, novam fanè Epigraphem poneret, verumtamen antiquam, & ab fundamentis infculptam nequaquam tolleret, ut animadvertit quidam eruditiffimus Conacademicus nofter (2) qui in id argumentum multa fcitu digna confcripfit.

IN QVOD OPUS VNIVEI .... LITATE SVA HS CX- :

(1) Lit. P.
(2) Mem.Reg.Acad. Infcript. Vol. 1. p.199.

CXDCCXCII; idest, *in quod opus universum ex liberalitate sua (dedit) sestertios nummos centum denos mille septingentos nonaginta duos*. Veteres enim pro sestertio scribebant HS, vel IIS; quod duæ lineæ binos asses, S semissem notat. *Sestertius*, inquit Var-(1) *quod semis tertius: dupondius etiam, & semis antiquis sestertius est, & veteris consuetudinis, ut retro æra dicerentur, ita ut semis tertius, semisquartus pronunciarent*. Brevius, & clarius Vitruvius (2): *Denarii quartam partem, quod efficiebatur ex duobus assibus, & tertio semisse, sestertium nostri vocavere*. Quibus adstipulatur Festus (3): *Sestertius dicitur quarta pars denarii, quo tempore is decussis valebat, idest dupondius, & semis*. Attamen sestertii pretium auctum fuisse testatur Plinius (4): *Postea*, inquit, *Annibale urgente Q. Fabio Maximo Dictatore asses unciales facti; placuitque denarium XVI. assibus permutari, quinarium octonis, Sestertium quaternis*. Sed hoc extra militaria stipendia; namque statim ipse subjungit: *In militari stipendio semper Denarius pro decem assibus datus*. Quod etiam de sestertio fortassis intelligi debet. Hoc autem animadvertendum est, quod sestertius masculini generis haud parum differt a sestertio generis neutrius; etenim sestertius masculini generis, qui etiam sestertius parvus dicitur, erat, ut ajebam, quarta pars Denarii, quæ valebat tres solidos cum semisse monetæ Venetæ; sestertium autem generis neutrius ex mille sestertiis parvis constabat, & valebat viginti quinque Coronatos, seu Philippos, ut liquet ex computationibus Budæi, & Justi Lipsii *de re nummaria* apud Sertorium Ursatum (5); qui coronatos Budæi, & Philippicos Lipsii

(1) De Ling. Lat. l. 4. c. 36.
(2) Lib. 3. c. 1.
(3) Lit. S.
(4) Hist. Nat. lib. 33. c. 3.
(5) Monument. Patav. lib. 1. Sect. 2.

ſii cum ſcutis Venetis ex libris ſeptem conſtantibus convenire demonſtrat. In Epigraphe noſtra ſeſtertios parvos indicari intelligas, qui niſi fallor, efficiunt ſcuta Veneta ex libris ſeptem conſtantia, *duo millia ſeptingenta quinquaginta ſex, libras tres, ſolidos decem & ſeptem*.

Atque heic operæ pretium eſt aliquot Inſcriptiones antiquas in medium proferre; in quibus ſeſtertiorum utriuſque generis ſit mentio. Et primò unam ex Grutero (1) producam, in quodam Helvetiorum pago repertam, in qua, ſicut in noſtra, ſeſtertii parvi conſueta nota HS. deſcribuntur.

DEÆ AVENT
T. TERTIUS
SEVERUS
CUR. COLON
IDEMQ. ALI
CUI INCOLÆ
AVENTICENS
PRIM. OMNIUM
OB EJUS ERGA
SE MERITA
TABULAM ARG.
P. L. POSUER.
DONUM D.S.P.
EX HS.N̄.CC.L.D.XL.

(1) Iſcr. Ant. fol. 210. n. 3.

Quæ postremæ literæ in indicibus ad Gruterum a Josepho Scaligero concinnatis, *cap. de notarum, ac literarum singularum vocum abbreviatarum interpretatione*, ita explicantur: *De sua pecunia, vel de suo posuit ex sestertiorum nummorum ducentis quinquaginta millibus quingentis quadraginta*. En aliam, & quidem pulcherrimam ex CL. V. Joh. Antonio Gorio deprompram (1):

M. JUNIUS. SABINUS
IIII VIR AEDILICIAE. POTEST
ET. LEGE. JULIA. MUNICIPALI
PATRONUS
COLLEGI. CENTONARIORUM
FRONTEM TEMPLI
VERVIS. ET. HERMIS
MARMOREIS PECUNIA SUA
ORNAVIT ET IN TUITION
DEDERIT HS
N̄. CCXXXXII.

Hoc est *in tuitionem dederit sestertios nummos ducentos quadraginta duos*. Sicuti etiam legitur in Frusto marmoreo apud Urlatum (2): ET. IN. TUITIO... HS. CCCIↃↃↃC.

Re-

(1) Inscr. ant. Part. 2. p. 153.
[2] Mon. Pat. lib. 1. Sect. 2.

Reliquum est, ut aliquam Inscriptionem producamus, in qua sestertia majora, seu generis neutrius, ex mille sestertiis parvis constantia, notantur. En hanc ex Raph. Fabretto (1):

GN. PLAETORIO. VI VIRO
AUGUSTALI
BISELLIARIO
HONORATO. ORNAMENTIS
DECURIONI
POPULUS. ABELINUS
AERE. COLLATO. QUOD
AUXERIT. EX. SUO AD
ANNONARIAM. PECUNIAM
HS. X. N. ET. VELA IN. THEATRO
CUM. OMNI. ORNATU
SUMTU. SUO. DEDERIT
L. D. D. D.

Sestertia heic notata constant ex denis millibus sestertiis parvis, efficiuntque ducenta, & quinquaginta scuta Veneta ex libris septem constantia. Ita pariter apud Ciceronem legimus *sestertium dena* pro denis millibus sestertiis masculini generis, & apud Salustium *sestertium centena* pro centenis millibus sestertiis parvis. Demum

(1) Inscr. Ant. c. 3. p. 228.

Demum in unaquaque istarum Inscriptionum observare velis ea verba ante, vel post sestertii notam apposita, videlicet *de sua pecunia*, *sumptu suo*, *pecunia sua*; ut in Epigraphe nostra elegantius habetur *ex liberalitate sua*. Atque hæc de sestertii nota, & pretio dicta sint in gratiam eorum, qui nota illa, ac literis numericis, nescio quem *situm*, *mensuram*, & *annum* indicari perperam arbitrati sunt. Et sanè si literæ illæ annos denotarent, adeo magnus esset eorum numerus, ut hunc aera nulla complecteretur.

S. Q. . . . . . ELITENSIVM DESIDERIUM O. . . . . ERIS CONLATIONE D. D. Priores literae cum sequentibus, quæ desiderantur, Senatum fortassis exprimebant, vel nomen Magistratus, puta QVIRI (is enim sæpe numero legitur in nostris Inscriptionibus (1) qui monumentum hoc fieri curaverit. Reliquas verò dictiones ita legendas esse censeo: *Ob Melitensium desiderium ob merita ejus aeris collatione dedit, dicavit*; ut alia monumenta tum apud nos, (2) cum apud alias nationes extantia terminantur. In quibus frequens est formula, EX AERE CONLATO, vel AERE CONLATO, vel, ut in Epigraphe nostra, AERIS CONLATIONE. Nec non statuas *aere collato* sibi erigi voluerunt Romani Imperatores, ut habent Bullingerus (3), Brissonius (4), & alii (5). *Legitur & in quibusdam* (inscriptionibus) AERE CONLATO *statuam positam. Et interdum statua* SUB AERE, *interdum* SUB AURO *posita significatur*; inquit Brissonius. Cujus rei causa dici potest ex L. 3. C. *de Stat. & Imag. In nostræ Serenitatis imagin-*

(1) Vide binas inscriptiones, quas supra attuli § 4.
(2) Vide Inscript. prælaudatas, & apud Abelam. lib. 2. not. 6.
(3) De pictur. lib. 1. c. 23.
(4) De Formul. lib. 7 pag. 830.
(5) Frigell. de Stat. Rom. cap. 22.

ginibus, ac statuis erigendis privatæ collationis injuriam pro pulsari præcipimus, ne quid in eis suum collator cognoscat.

Ex quibus omnibus monumenti nostri vetustas facilè dignoscitur: idque ante Romanos Imperatores positum fuisse uidetur. Equidem in aliis nostris Inscriptionibus Latinis ferè semper legitur nomen alicujus Imperatoris, aut Imperatricis; in hac non item. Præterquam quod rerum in ea descriptarum nullus autorum meminit, neque Ma jores nostri quidquam de eis nobis tradidere. Quamobrem adeo antiquum monumentum dignum quidem est, in ædibus publicis, ubi jam collocatum est, omni cura servari: Quo sanè haud parum gloriæ, atque splendoris ad vetustos hujus inclytæ Insulæ fastos accedit.

IPI MEL·PRIMVS OMNI
IT ITEM AEDEM MARMO
LLINIS CONSACRAVIT·ITEMP
RONAO COLVMNAS·IIII·ET PARA
ET PODIVM ET PAVIMENTV
CAVIT IN QVOD OPVS VNIVE
LITATE SVA HS CXↁCCXCIIS Q
ELITENSIVM DESIDERIVM O
RIS CONLATIONE·D·D·



Tab. 11.

Tab. III.



ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΚΑΙ· ΣΑΡΑΠΙΩΝΟΙ

ΣΑΡΑΠΙΩΝΟΣ ΤΥΡΙΟΙ

ΗΡΑΚΛΕΙΑΡΧΗΓΕΤΕΙ



